



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

946

A

58



KW  
1816 d 57

IOANNIS MELCHIORIS  
KEMPER

O R A T I O

D E

IVRE NATVRAE, IMMVTABILI  
ET AETERNO;

P V B L I C E H A B I T A


DIE XVI IVNI MDCCCXCIX,

Q V V M

ORDINARIAM IVRIS NATVRAE ET CIVILIS  
PROFESSIONEM, IN ACADEMIA BATAVA,  
QVAE EST HARDERVICI, SOLEMNI  
RITV AVSPICARETVR.



H A R D E R V I C I,  
APVD EVERARDVM TYHOFF,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHVM.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1950

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1950

1950

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY


1950

HARDERVICENAE  
ACADEMIAE  
CVRATORIBVS,

EIQVE

QVI HIS AB ACTIS EST,

SACRVM



24 10 1918

IOANN. MELCH. KEMPER

O R A T I O

D E

IVRE NATVRAE, IMMVTABILI  
ET AETERNO.

---

*QVI ACADEMIAE HVIC PRAEESTIS CVRATORES,  
VIRI GRAVISSIMI, HONORATISSIMI, QVIOVE IL-  
LIS AB ACTIS ES, VIR SPECTATISSIME!*

*ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE!*

*QVI PVBLICAS HVIVS CIVITATIS RES CVRATIS ET  
IVDICIA, SENATORES, IVDICES, QVIOVE ILLIS  
A TABVLIS ES, VIRI PRVDENTISSIMI!*

*DIVINAE HVMANAEQVE SAPIENTIAE PROFESSO-  
RES, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!*

*SACRARVM LITTERARVM INTERPRETES FACVN-  
DISSIMI!*

1777

QVA-



I. M. KEMPER

QUARUMVIS DISCIPLINARUM DOCTORES CONSUL-  
TISSIMI, EXPERIENTISSIMI!

GYMNASII, QUOD IN HAC VRBE EST, RECTOR,  
CAETERIQUE PRAECEPTORES DOCTISSIMI!

CIVES, HOSPITES, CUIUSCUNQUE LOCI, ORDINIS,  
AC DIGNITATIS, AUDITORES OPTATISSIMI, HU-  
MANISSIMI!

VOS DENIQUE, HUIUS ACADEMIAE CIVES ORNA-  
TISSIMI, PATRIAE SPES, PARENTUM AMOR,  
NOSTRA CVRA, NOSTRAEQVE DELICIAE!

---

Scio equidem, A. A. ! multos fore, qui ine-  
ptum illum aestiment timorem, quo cathe-  
dram hanc adscendo; at infitias tamen ire  
non possum, quin solemnitas diei locique,  
gravitas muneris, et haec auditorum corona  
quodammodo perturbet animum. Hic enim  
dies, hic locus est, quem in omni doctrina-  
rum

rum genere summi viri ita consecrarunt, ut ne profanus accedat, fere quisque vereatur; hoc aggredior munus, quod et gravitate sua et difficultate proveciores etiam aetate doctrinaeque viros deprimere possit ac terrere: hac deniquecingor coronam, quae et maximos viros ex hoc ipso loco dicentes audivit, et elegantem illorum doctrinam in novo quoque et inexercitato oratore quaeret et desiderabit.

Haec autem si animadvertam, A. A! omnia; unicum mihi in vestro favore, vestraque humanitate perfugium superest. His igitur me sublevetis, et quae minus digna loco et materiae dixerim, ea ut excusetis, quam maxime rogo, cum ob meam tenuitatem, tum ob gravitatem argumenti, quod nec inutile, nec a mea persona alienum, nec vobis, uti spero,

spero, injucundum quaesivi, atque invenisse mihi visus sum.

Veterum scilicet sapientiam cogitanti mihi ac consulenti saepissime, obvenit forte divinus ille Ciceronis locus (a), quo praestantem sapientissimorum virorum confirmat sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regetet, imperandi prohibendique sapientiâ. Haec autem Ciceronis, maximorumque philosophorum sententia, cum praestantissima mihi, et, his maxime temporibus, tractatu dignissima videretur; statim ab illa hujus orationis materiam sumsi, et hac hora de Naturae

(a) *de legg. II. 4.*

rae jure immutabili et aeterno dicere constitui: vos A. A! benevolas aures mentesque praebete.

Hanc rerum universitatem quicumque leviter tantum attenderit, is duas fere specie diversas omnium rerum proprietates deprehendet; mutabilitatem scilicet et fluctuationem, simul cum ordine summo et certitudine. Quamprimum autem non ad res tantum sed et rerum causas advertamus animum, omnis haec paulatim evanescit mutabilitas, et in ipsa illa fluctuatione, quae modo apparuit, aeternam observamus certitudinem. Certis igitur legibus coelestia moventur corpora, certam terrestria sequuntur rationem, certum denique hominibus ipsis iter est, quod, licet ita diver-

B

sum

sum sit, ut alter saepe laeto temperatoque coelo fruatur, dum continuis fere tempestatibus alter obnoxius vivat, in eo tamen nunquam differt, quod per easdem aetatum vicissitudines ad eandem viae metam tendat.

Et haec quidem physicarum legum certitudo omni dubio superior est, quippe quae in vita communi observetur quotidie, et in dies novis argumentis confirmetur: ea autem est hominum imbecillitas, ut quae sensibus externis non percipiant, difficilius intelligant; est ea superbia, ut, modo si quid explicatu difficile inveniant, potius de divini operis ordine, quam de sua sapientia dubitent. Mirum itaque non est, jam antiquitus exstitisse, et his etiam temporibus superesse, philosophos, qui omne jus naturale negent, et cum Achil-

Achille apud Hóratium (*b*), nihil non armis adrogari posse statuant; naturâ enim justo iniquum fecerni non posse, uti a secundis adversâ, a fugiendis petenda distinguuntur (*c*), cum civile demum imperium et conventio populorum discrimen illud introduxerit. Hominem enim, uti caetera animalia, unice duci ad felicitatem, dicunt: quae cum variis temporibus, varia ratione, ac nonnunquam aliorum damno inveniatur, prout varii sint hominum mores, patria atque fortuna; inde efficiunt, nullam esse certam justii et injusti naturam, verum omnia majorum institutis moribusque populorum aestimanda esse, ita ut quod in Occidente

---

sce-

(*b*) *De arte poëtica* vs. 122.

(*c*) HORATIUS *Satyr. Lib. I. Sat. 3. vs. 113.* Cf. GROTIUS *de J. B. et P. proleg. §. 1—6.*

scelus fit, illud in Oriente virtutis nomine summis laudibus celebretur (d).

At, qui leviter tantum homines eorumque naturam attenderit, facile videt, non tales eos a natura genitos esse, ut sua tantum felicitate gaudeant, aliorum non curent, suis tantum damnis subveniant, aliorum non moveantur, sed exsultent etiam et laetentur, si modo quaedam sua sit utilitas. Abest longissime a naturâ tanta crudelitas; quâ potius impellantur homines, ut prodesse velint quam

plu-

---

(d) Vid. HELVETIUS *de l'Esprit*; disc. II. Chap. 13. Cf. NEPOS in *praefat. ad vit. excell. imp.* Hanc autem rationem apud veteres secuti sunt ARCHELAUS, (DIOGEN. LAERT. II. BAYLE in *Dict. h. l.*) ARISTIPPUS (DIOGEN. LAERT. II. 93.) CARNEADES, (LACTANT. *divin. Inst.* V. 17.) ut satis cognitos taceam recentiores; de eorum vero, ut plerumque habetur, antistite HOBBSIO, an satis probatum sit, quod vulgo refertur, equidem vehementer dubito.

plurimis (e); quâ communis hominum inter homines fit commendatio; quâ fiat ut ab homine homo propter id ipsum, quod homo fit, alienus non videatur. Testes mihi sint plurima illa in historiâ praeclare pro Patria, parentibus, amicis, imo peregrinis etiam et ignotis facta; testes illi dolores commiserationesque, quas ipsa hac hyeme, cum patriae nostrae pars aquis esset obruta, ubique vidimus; testes illae donationes, quibus hoc fato depressis subventum est; testis denique A. A! mihi vestrum quisque fit. Quis enim non aliquando miserum viderit? quis non, quantum homini erga hominem benevolentiam dederit natura, perspexerit? S

---

(e) CICERO *de fin.* V. 15. Cf. P. VAN HEMERT, *Proeve ter beantwoording der vrage, betreffende het bestaan eenor belangloze goedwilligheid, in het menschelek burs* 1813. (3)



Si vero propriam non tantum spectamus salutem, minime certe eam sequimur felicitatem, de qua loquuntur adversarii; quae cum omnibus animantibus nobis tota communis est, quaeque praeter sustentationem vitae nil aliud jubet, nisi ut libidini nostrae voluptatibusque satisfiat. Ferarum illa sit felicitas; hominum vis in animo magis, quam in corpore sita est; illius imperio, hujus servitio magis utuntur (f): ita ut si felicitas, hominibus conveniens, cum alia quadam felicitate comparanda sit; accuratius cum illa comparetur, quam ex ordine et harmonia hujus universi coelicolae percipiunt.

Tota igitur inanis est illa ratio, qua probare

---

(f) SALLUSTIUS in *bello Catilin.* Cap. I.

bare student nonnulli, fluxam et mutabilem esse omnem moralem doctrinam; quin potius ex ipsa juris natura, probe constituta, perspicue sequitur, immutabilem esse juris rationem, sive leges per se, sive hominum ad illas servandas obligationem respiciamus.

Quocumque enim nos vertamus, illud ubique deprehendimus, unum esse ordinem, quo nascantur res et regantur. Aptae scilicet haec omnium partium dispositio, qua fiat, ut nulla pars alteri obstet, sed omnes sibi invicem respondeant, et in unum quasi centrum aequales concurrant, rem quamcumque constituit. Hanc tolle, tota simul destruetur res; deme circulo radiorum aequalitatem, circulum tolles; detrahe corpori humano ordinem, ut officiis  
suis

suis membra fungi nequeant, morietur homo; aufer huic, quod videmus, universo illud aequilibrium, quo nunc omnia moventur, unus iterum totius naturae vultus redibit, quem chaos veteres dixerunt; omnia iterum sursum vertentur et deorsum, instabilis erit tellus, innabiles aquae, et quod divinum hoc universum fuit, corruet et iners invenietur pondus.

Est autem moralis etiam doctrinae eadem ratio. Ita enim constituti sumus ut non sibi quisque soli vivat, sed ut magna quaedam civitas sit totus hic orbis. Facile ergo constat, uti caeteras res, ita quoque morale hoc, ut ita dicam, universum, sublato ordine, totum everti. Omnis enim sic tollitur hominum societas, penitusque humana destruitur natura,  
et,

et, quae nunc hominum sedes est, cito nil nisi ferarum erit domicilium.

Quanta vero illius doctrinae fit repugnancia, vix est quod pluribus ostendam, sive auditores respiciam, doctrinam pariter et virtutis amore praestantissimos, sive rei perspicuitatem attendam, quae non alieno indiget patrocinio, sed obstantes nebulas ipsa sua luce dimovet.

Quid enim? ante latam legem Juliam de Adulteriis, nulla fuerit scorti turpitude, nullum vitium aliena voluptate hospitale torum contaminare? ante statutam in sicarios lege Cornelia poenam, alienae vitae insidiati crimen non fuerit? quid? si hoc verum sit, frustra laudamus Camillum, frustra Coriolanum culpamus: non est enim ulla scripta lex, quae

C

in-

indignam omnem et illicitam ultionem declaravit: frustra igitur Cicerones veneramur, et Papinianos, aliosque, qui tyrannidi se constanter opposuerunt, qui liberam et honestam mortem turpi praetulerunt vitae, non enim est scriptum jus, quod tyrannidem coercet; inania igitur sunt nomina, fortitudo animi, humanitas, gratus animus, caeteraque hujus generis, non enim ulla lex talia comprehendit officia; saeviant itaque Catilinae, saeviant Verres et Syllae, securum est omne scelus, modo ne aperte contra leges peccetur; quod si et hae subtilitatibus et argutiis eludantur, nulla superest virtus, nullum officium.

Certus igitur, A. A! requiritur modus, certae requiruntur et immutabiles leges, quibus moveantur partes, non ut vigere tantum sed et esse

esse res queat: nec ullum est dubium, quin sit quoddam jus, quod non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus; ad quod non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus; quod per se, nec a iustis et vetitis populorum, vim habet, a peccatis avocandi, et ad recte facta vocandi; quod non modo senius sit quam aetas populorum et civitatum, sed aequale illius coelum atque terras tuentis et regentis Dei. (g)

At, qui ab ordine me omnium rerum et officiorum principia ducentem audiat, is objiciat fortasse, dignitatem sic majestatemque omnem virtuti detrahi, quod a convenientiâ

---

(g) CICERO *de legg.* II. 4. 5.

tiâ illa ducatur omnis. Verum enim vero, quid sibi velit haec objectio, non equidem satis intelligo: quid enim gravius, quid magnificentius dici potest, quam virtute omnia contineri, sublatâ virtute omnia destrui? dicunt vero illi: fiat justitia, pereat mundus; imo fiat justitia, sed ne pereat mundus; illud enim praecipue divinam ejus probat originem, quod uti Deus, ita virtus in servando consistat, atque ita maxime veram se virtutem, non humani ingenii commentum esse, probet, et ostendat. (*h*)

Si

---

(*h*) Licet plura hac de re dicere et orationis natura et instituti ratio prohibeat, illud unum tamen videtur monendum, in omni hac de naturalium officiorum principiis doctrina vix satis distingui posse, ne in logomachiam abeat omnis disputatio: nec sufficere hic videtur distinctio communis inter principia cognoscendi et agendi, sed et bene distinguendum inter justitiâ personarum et actionum.

*Nec*

Si vero, quod nos ordinem diximus et harmoniam, perfectionem potius vel felicitatem vocent alii, non equidem hic vehementer obſto; quocunq; enim ex his nomine leges designemus, ſemper illae a rerum naturâ pendunt, quae cum in hoc rerum univerſo neceſſaria ſit et immutabilis, legum quoque et boni malique, quod ex legibus aeſtimatur, naturam certam, et neceſſariam efficit.

Non igitur iis obtemperandum eſt, qui vel in publicâ re vel privatâ neceſſitate omne juſtum abrogari vel mutari diſputent; qui, modo bonum  
fit

---

*Nec enim (ut recte ARISTOTELES, Ethic. V. C. 10. II.) quicunq; injuſte agit, agit, quod injuſtum eſt, longe alia itaque quaestio eſt, non tantum, quodnam ſit principium obligationis humanae, et quonam principio illa, ad quae obligatur homo, cognoscantur; ſed et ex quonam principio illae leges, ad quarum obſervantiam homo ſuâ naturâ ac ratione obligatur, proficiſcantur.*



fit consilium, omnem rationem qua sibi satisfiat licitam et justam jactent, qui, ex convenientiâ omnem rem aestimantes, nullam possessionem, nullum dominium, nullum denique jus adeo sanctum habeant, quin nefandis illud aggrediantur manibus, et ad se omne rapiant: Catilinarum hoc et Neronum caeterorumque humani generis opprobriorum, non autem hominum, non gentium jus est: nisi forte illis fit jus, quod Hobbesius omnium erga omnes bellum esse dixit.

Quod autem in universi ordine leges maxime spectari diximus, illud non eo tendit, A. A! ut partes negligantur; qui enim in totius corporis integritate valetudinem positam esse dicat, eum certe nemo partes corporis negligere contendet: eadem vero legum est ratio:

tio: respiciunt quidem hoc universum, sed hanc ipsam ob causam partes ejus omnes complectuntur.

Abest igitur longissime, illa nos officia tollere, quae sibi, quae parentibus, quae patriae debere vulgo dicitur homo, ut e contrario nulla sit doctrina, quae magis illa praecipere posset: quatenam enim totius universi foret harmonia, nisi quae a quavis parte incipiat? Nihil ergo illustrius illa ratione, qua conjunxit homines inter se natura; haec enim a primo fatu, quo a procreatoribus nati dicuntur, orta, primum totam domum conjugio et stirpe conjungit, dein foras sensim serpit cognationibus primum, tum affinitatibus, tum amicitiiis, post vicinitatibus, deinde totius complexu gentis humanae; haec autem ultima  
con-

conjunctio uti omnes complectitur partes, ita quae hanc magnifice et aequè tuetur, quaeque caeterae omnes continentur virtutes, justitia dicitur. (i)

Consulatur ergo sibi, consulatur familiae, consulatur patriae, verum hoc teneatur semper, non per se, non absolute illa valere officia: sunt enim partes tantum illius virtutis, quae totum hoc continet, quaeque, dum ipsa tanquam regina moderetur universum, quasdam tantum provincias illis concedit officiis, quae particulari magis nomine vocare solemus, sed ita demum ut illius nomine regant, neque has oppugnent leges, quibus illa totum continet et gubernat.

Una

---

(i) CICERO *de fin.* V. 23.

Una igitur nec dividua virtus est, neque unquam illius praecepta alia aliis contraria sunt, ita ut proprie inter se pugnent. Quid enim repugnantius, quam honesta honestis contraria, et in ipsis ordinis legibus ordinis esse perturbationem? Nulla itaque per se est, nulla esse potest in jure pugna; sed est illud humanae tantum doctrinae et sermonis quaedam difficultas, quâ non ita semper officiorum formulas describere possumus, ut simul illae omnes exceptiones contineant. Habeant ergo pugnae speciem praecepta, quae sanctissime datam fidem servari jubent, et consilia tamen de perdendâ patriâ, nobis ab amico tradita, etiam contra promissum patefieri volunt; est tamen per se una tantum eademque naturalis lex, quae nihil,

D

fo:

sociali hominum vitae contrarium, permittit. Quidquid igitur peccatur, illud perturbatione ordinis peccatur, et rationis (*k*); eorum autem unam esse, eamque simplicem et necessariam naturam quis dubitat?

Sed rogabit fortasse aliquis: nunquamne igitur civilis lex recte mutat atque circumscribit illud naturale jus? nonne variis gentibus varias saepe convenire leges, philosophi disputant omnes et contendunt?

Ad singula respondeamus, A. A! illud tamen observemus, duplicem fere juris naturalis esse rationem. Ut enim recte Cicero distinguendum esse docet inter communem hominis et singularem personam (*l*), qua-

---

(*k*) CICERO *parad.* II. 2. *in fine.*  
 (*l*) *De officiis* II. 30.

quarum illa ad hominem per se, qualis a reliquis differt animantibus, pertinet, haec in singulari cujusque conditione spectatur; ita et jus, quod homini agendi praescribit regulas, duplex esse intelligitur.

Illud omnibus, quibus est ratio, ac praestantior natura, commune est; illud aequitatem, honestatem, et omnis generis officia complectitur; illud absolutum, illud omni tempore apud omnes personas idem semper est et immutatum; illud gentibus gentes, hominibus homines conjungit; inde inviolabilis illa sanctaque legatorum persona; inde civilis hominum libertas et aequalis conditio; inde simul illius aequalitatis libertatisque termini, quos si transgrederis, non libertas sed licentia, non aequalitas, sed omnium jurium erit

D 2

per-

perturbatio; inde divinum illud praeceptum fraterni amoris non erga nostros tantum, verum erga omnes homines; illud denique generale hoc jus naturae est, cui omne aliud, omnis populorum lex, omnis principum constitutio accommodetur; quod saeculis omnibus antenatum est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas fuit constituta; quod a natura, non ab opinione profectum est; (m) quodque

„ *Nec Jovis ira, nec ignis,  
Nec ferrum poterit, nec edax abolere vetustas.*”

Alterum autem officiorum genus, quo per  
se

---

(m) CICERO *de legg.* I. 10. 16. et ad illum locum *Ora-  
tio V. Cl. H. C. CRAS, Cf. GROTIUS J. B. et P. I. I. §.  
10. No. 4.*

se singulae partes constant, licet ex hoc immutabili et aeterno jure fines suos accipiat; propria tamen illa praecepta, quae his officiis continentur, e singularum partium natura definienda sunt et regenda, verum ita semper, ut aeterni juris regulis non oppugnetur.

Videant igitur, qui populi salutem ita supremam esse legem dicunt, ut quae gentibus gentes, quae privatis civitas debet officia, ea negligent penitus; videant, inquam, quantum a naturâ abhorreat ipsorum ratio; videant, quorsum et quousque tendat ipsorum doctrina, et cum Atheniensibus divinum illud Aristidis praeceptum teneant; non privatis tantum sed gentibus etiam videndum esse, ne quod utilitate, quod perfectione singulari continetur, illud honesto anteponant et aeternis juris



regulis. (n) Est enim haec omnium hominum quasi una civitas, (o) cujus, ut ita dicam, civile jus efficiunt leges naturae: uti vero in omni civitate quaedam, inveniuntur minores societates, quibus suae singulis sunt leges, secundum illarum naturam variae, nec tamen generali legi civili contrariae, sed amicae potius et ministrae; ita et hoc genus humanum sese in minores dividit societates, quae pro variâ suâ naturâ variis reguntur legibus, ita ut non mutetur justi et injusti ratio, sed ut variâ tantum et temporibus locisque accommodatâ ratione idem obtineatur, ordo nimirum, et perfectio singularum

par-

---

(n) CICERO *de off.* III. II.

(o) CICERO *de fin. bon. et mal.* III. 19. 20.

partium ea, sine qua universi ordo destruat  
penitus et corruat.

Atque hoc quidem, quo cujusque civitatis  
ordo perfectioque continetur, illud est, quod  
legibus comprehenditur, quas vulgo civiles di-  
cimus: et has igitur non in opinione, sed in  
natura positas existimemus. Non enim a libi-  
dine principum, sed ab internâ praestantiâ vis  
illarum obligandi proficiscitur.

Quid igitur legislator? primum, quidnam  
absoluto illo jure naturae, quod omni tempore  
apud omnes valere docuimus, comprehenda-  
tur, observabit; neque aliquid fanciet, aut  
honestati aut bonis moribus contrarium; ve-  
rum contra anxie curabit, ut quam maxime  
justitiam, aequitatem, omnemque virtutem  
servet et augeat; deinde, non quid justum sit,  
jube-

jubebit, sed inquirat; non dabit leges; sed quasnam dederit natura, dijudicabit. Est enim legislator quasi iudex, qui secundum leges naturae dirimit causas, antequam occurrant, ne vel irâ, vel favore, vel aliquâ animi commotione turbetur, atque

„ *Aliud natura, aliud sapientia dicat.*” (p)

Attendet igitur tempus, attendet locum, attendet societatis finem, quaeque ex his recta ratio prohibenda, vel imperanda deducat, illa peculiaribus assignabit causis; (q) cum bene sciat, nil aliud esse legem, nisi justorum injustorumque distinctionem, ad illam antiquissimam, et rerum omnium principem,

---

(p) JUVENALIS *Satyr.* XIV. vs. 521.

(q) MONTESQUIEU *Espr. des loix* III. C. 3.

cipem, naturam expressam, ad quam leges hominum dirigantur. (r)

Cum autem singularum harum civitatum, singulorumque statuum, in quibus versetur homo, diversa maxime sit natura, quis non videt, non omnibus idem esse posse illud Naturae jus, quod proprium magis diximus? Quis non videt illas leges, alias apud Asiaticos, alias apud Europaeos, alias denique apud ipsius Europae gentes, gentiumque etiam civitates, quotquot situ differant, esse debere?

Quanta igitur, quanta A. A! illius doctrinae est fallacia, quae, ut aeternis legibus naturae suam auctoritatem restituat, hanc omnem tollit varietatem, et iisdem legibus omnia esse

---

(r) CICERO de legg. II. 5.

E

esse regenda defendit. Nec enim restituitur hac ratione naturae sua dignitas, sed penitus potius eripitur, neque minor in colligandis iis, quae discrevit natura, quam in divellendis iis, quae conjunxit, illi vis infertur. Haec scilicet est inprimis naturae praesentia, quod, cum varia hominibus loca assignaverit, cuique e suo loco dederit viam, qua ad communem perveniat metam: illa vero hominum est imbecillitas, ut, cum e sua statione rectam invenerint viam, hanc etiam illis commendent, quibus, ut alio versantur loco, iter etiam aliud ad eundem ordinem eandemque perfectionem designavit natura.

Cuique igitur societati, cuique hominum statui suas proprias natura dedit leges; quas naturales appellari singulas nihil obstat: cautissime

tissime tamen semper videamus, ne proprium illud jus cum aeterno illo et absoluto confundamus, de quo primum egimus; nullus enim error est, qui, utut speciè levis, magis omnem accuratam juris doctrinam prohibeat, omnesque societates diruat magis et evertat. Testes mihi sint qui, de aeternitate juris naturae convicti, leges, quas illa communes et absolutas dedit, cum iis confundunt, quae primaevo hominum statui, antequam societates constituerentur, conveniebant, quaeque historice magis quam philosophice naturales vulgo dicuntur. (§)

Hinc

---

(§) Est autem illud eo majoris momenti, quo magis hic error apud illos nostri temporis philosophos occurrat, qui omnium manibus teruntur et praestantioris fere doctrinae auctores habentur; haec, si propius rem spectas, magis illi eloquentiae et humanitatis cujusdam, quam doctrinae

Hinc enim insanus ille furor, qui libertate omne officium erga imperantes sublatum putat, et divinum hoc Ciceronis negligit, quod, ut liberi esse possimus, legum nos oporteat servos esse; qui aequalitati, virtutis etiam et doctrinae dignitatem contrariam judicat; quique omne domini jus nullum putat, cum naturae statu fraternam bonorum communionem omni occupationi praecessisse defendit.

Abfit igitur ab omni juris naturae doctrina error iste, qui, quod natura dedit jus immutabile, illud artis naturalis status finibus coercet. Quid enim indignius, quid ineptius, quam ex illo statu omne justum derivare, qui,  
 si

---

nae causa commendantur: PAVNIUM puto, ROSSAVIUM, VOLTARIUM et similes.

si naturae respiciamus leges, ipse naturae est contrarius? Mihi autem similis semper haec videtur ratio, ac si ex imbecillitate, quam primum habent a natura infantes, nullam hominibus naturalem corporis animique vim esse quis contendat.

Verum varia sint ac diversa hujus juris praecepta, quod singulare magis esse vidimus; si naturam tamen et originem ejus attendamus, certe non magis arbitrarium et mutabile hoc inveniamus, quam illud, quod a communi hominum natura oriatur; a rerum enim naturâ utrumque jus proficiscitur, nec est ulla ratio qua, quod a re immutabili oriatur totum, fluxum esse et instabile possit.

Atque hac quidem ratione de legum per  
E 3 se



se immutabili natura satis constat; superest ut de obligatione videamus, quâ ad illarum legum obsequium homines obstringuntur.

Multa quidem A. A! eaque valde discrepantia sunt de humanâ obligatione doctorum virorum judicia; nos autem haec non diu detinebit varietas, cum et hujus loci non sit, et in eo saltem concurrat, omnis, ut non nisi ab humana natura ducenda sit: pauca igitur haec monere sufficiat.

Duplicem omnium animalium classem esse in hoc rerum universo, neminem certe fugit; alteram scilicet eorum, quae natura propria fixit, et ventri obedientia, quibus tantum, ut voluptatibus suis satisfiat singulis, curae est, ita quidem ut, quod illis non continetur, ignorent penitus et negligant:

al

al

al

alteram eorum quæ, licet eurent omnino voluptates, licet maxime in eo versentur, ut illis satisfiat; ita tamen hoc solo principio non reguntur, ut potius in moderando illo et regendo eorum spectetur natura.

Tale vero præter hominem nullum reperitur animal. Cum enim caetera fere sic se habeant, ut non tam sequantur leges naturæ, quam iis abripiantur, solus est homo, cui liberum est obsequium, cui voluntas ratione gubernata, non caecus impetus agendi præscribit modum; ita ut caetera animalia patiantur, solus agat homo, ac se ipse moveat, cum aliena vi reliqua moveantur.

Hinc illa præstans natura, quæ cum Deo nobis communis est; hinc eximia illa vis qua perspicimus, quid sit ordo, quid illi conveniat, quid

quid deceat; per quam consequentia cernimus, principia et causas rerum videmus, earumque progressus; qua similitudines comparamus, rebusque praesentibus futuras adjungimus: (t) haec est illa ratio, quae, si nullis corporis vinculis contineretur, absoluta, atque nullis indigens praeceptis per se foret virtus, (u) uti in Deo eam agnoscimus absolutam et necessariam.

Verum licet in hominibus non absoluta sit illa ratio, quippe quae recta constansque supra hominem est solique Deo tribuenda; (v) adest tamen, nec unquam sui oblivionem hominibus permittit: hinc invicta illa etiam sceler-

---

(t) CICERO *de Officiis* I. 4.  
 (u) Id. *Tuscul. Quaest.* V. 13.  
 (v) Id. *de Nat. Deor.* II. 13.

lestissimorum reverentia, quâ virtutem venerantur; hinc pudor ille, quo suorum scelerum ipsi fugiunt notitiam, atque illorum si non defensionem, saltem excusationem, sibi quoque invenire summis viribus student. Sentit enim semper, sentit etiam invitus suam praestantiam homo; sentit aliquid se habere divinum, ingeniumque in se sicut simulacrum aliquod dedicatum, tantoque munere dignum semper aliquid facere studet (w); nihil enim ab optimo et praestantissimo genitore melius procreatum sentit illâ vi rationis contentionisque (x) sempiternarum rerum, cujus se compotem sentit et participem.

Hujus

---

(w) CICERO *de legg.* l. 22.  
 (x) Graece ἀπομνημονεύματα. CICERO *in fragmentis de universis*  
 Cap. 8.

F

Hujus autem praestantioris naturae in hoc maxime vis perspicitur, quod ardenti studio ordinem curent homines, ita ut gravissime ex Platoniorum doctrina dicat Plutarchus: (y) hanc imprimis ob causam rationem nobis datam, visumque in nobis accensum fuisse a supremo numine, ut spectandis admirandisque coelestium corporum motibus, anima nostra amplecti condoceretur decorum et ordinem, odium conciperet incompositorum et vagorum motuum, temeritatemque et casui fidentem levitatem fugeret, tanquam omnis vitii et erroris originem. Ordine igitur nulla res plus

in

---

(y) *De sera numinis vindicta*, edit. WYTENBACHIAN. pag. 14. cf. etiam egregius hac de re locus PLATONIS in *Timaeo* pag. 305. edit. BIP. et Cl. WYTENBACHIO 10 6. 11. ad lib. laud. PLUTARCHI pag. 28. 29.

in animis hominum valet, quos, ut contem-  
plarentur mundum et imitarentur, finxit na-  
tura. (2)

Haec

---

(2) CICERO *de Nat. Deor.* II. 14. ex persona CHRYSIPPI Stoici; licet tamen solis Stoicis hoc proprium non fuisse placitum, contra DAVISIUM probet WYTENBACH d. I. Caeterum mundum h. l. non pro complexu rerum creatarum, sed pro anima magis mundi sive Deo, cujus sapientia hoc universum continetur, sumi, vix esset, quod monerem, nisi invenirentur, qui plane incognitam fuisse veteribus philosophis hanc putarent sententiam, hominem ad similitudinem Dei procreatum, atque eo ipso obligatum esse, ut *capta origine dignum se praestet, et factis etiam se quam simillimum huic naturae praebet*: haec enim opinio, uti a veritate longe aberrat, et a CREERONE in philosophicis libris quavis fere pagina refellitur, ita expresse refutator a PLUTARCHO loc. I. ex sententia Platoniorum, ubi dicit *imitatione tantum eorum, quae bona et pulchra divinae naturae insunt, virtute potiri hominem*. Qui autem oppositam sequentes viam, agnoscunt quidem haec veterum placita, sed non satis illa hominum imbecillitati convenire disputant, quae perfectum fieri hominem vetat; non vident quantopere hoc ipso ratiocinio Christianam religionem, cujus comparatione nil nisi nugae esse veterum philosophorum placita dicunt, impugnent, quae hoc in primis nos curare jubet, *ut perfecti simus uti Deus perfectus est*: deinde est aliquid per se absoluta virtus, quae in definitione spectanda est, licet ad eam attingere homines non possint. Cf. CICERO *de Orat.* III. 22. Uti recte etiam

F 2

haec

Haec autem animi vis et rationis, uti praestantia et dignitate hominem a caeteris animalibus distinguit; ita et obligationis moralis, quae in homine tantum valet, causa esse videtur. Hinc enim primum se non impetu quodam ferri, sed obligationi, cui liber obsequatur, recipiendae parem esse agnoscet homo; deinde se non sibi tantum vivere, nec unis moenibus circumdatum popularem alicujus loci, sed civem totius mundi quasi, urbis esse videbit, (a) et cum in hoc maxime ordinem consistere novit, quod munus suum, a naturâ acceptum, quivis exsequatur.

---

hac in parte *Criticam Philosophiam* mihi defendere videtur contra aliorum objectiones P. VAN HEMERT *Beginsels der Kantiaansche Wysbegeerte, Deel IV. bladz. 44.*

(a) CICERO de legg. I. 23.

quatur, hinc ratione sua obligatum se ad omnia sentiet, quae virtutis sunt et ordinis.

Hic autem mecum attendite, A. A! admirabilem creatoris hujus universi providentiam, qui, cum ita homines creasset, ut iis et cum Deo et cum animalibus quaedam essent communia, ita tamen utramque conjunxit naturam, ut sibi invicem non obstant, sed amicae potius in unum quasi centrum concurrant. O praeclara divini numinis sapientia! O singularis humanae naturae constitutio! Itane res tam diversae conjungi potuerunt? Itane tibi divinitus ratio dari potuit, ut ne corpus negligeretur, ut ne rationis praecepta cum legibus pugnarent, quibus animal subjectum est, ut ne penitus felicitatis studium, quod omnibus commune est animalibus, opprimi



deberet? Mira haec videantur A. A! in humana tamen natura haec invenitur conjunctio, et cum rationis praescripta bonos nos esse et honestos absolute jubeant, ut nisi boni felices esse non possent, rerum omnium parens prospexit.

Sive igitur, quod nos rationem diximus, felicitatis moralis, vel alio quocunque nomine appellent, me quidem hoc loco adversarium non habebunt; modo in hoc conveniant, non ab opinione imperantium, non a scitis populorum, sed ab ipsa natura morali hominum ortam esse obligationem. Hanc autem cum communem habeant et immutabilem omnes homines; sic erit omnibus gentibus, omni tempore una lex sempiterna et immutabilis, cui qui non parebit, ipse se  
fu-

fugiet, et naturam suam aspernabitur. (b)

Quidquid igitur jubeat legislator, illud semper prius videbimus, quid honestum sit, non quid lege contineatur; nec, si plane sit contraria lex honesto, obtemperabimus legi, sed integra manebit fides, etiamsi admoto Tauro dictet perjuriam Phalaris; honestius enim est vitam, quam vivendi causam perdere; quin et, si dubia sit legis aequitas, non obediemus, quia jussum est a legislatore, sed quod major illi in dubio fides est, et auctoritas.

Mutabili ergo et infirmo gresu caetera moveantur, cedant regna regnis, cedant

regna regibus, cedant regibus regibus, cedant

regibus regibus, cedant regibus regibus, cedant

---

(b) CICERO de leg. I. 16

gentibus gentes, diruant homines et aedificent, quae mox ab aliis diruantur, fluxa semper erunt et incerta, quae ab hominum libidine pendent, quae vero a natura proficiuntur, illa cum natura stabilia erunt et firma, stabit igitur, dum caetera turbis humanarum libidinum vacillant, stabit jus naturae, ut in medio mari edita, et altissimis defixa radicibus rupes, quam verberant fluctus, non ut eam commoveant, sed ut ipsi frangantur. Non igitur a cuiusquam libidine, sed a natura nostra proficiscuntur officia, circumferuntur jura, quorum a nemine, ne a nobis quidem ipsis, impune mutatur ordo: id enim impunitis egregie actum est ab eo rerum omnium optimo creatore, ut in alienum arbitrium nihil nisi ipso volente cadat, quidquid optimum

ho-

homini est, id extra humanam potentiam jacet, nec dari potest nec eripi: ita quidem ut si huic ordini vis inferatur, aliquamdiu quidem, uti Librae, fit vacillatio, sed quae tandem certissime in aequilibrium desinet et ordinem.

Semper igitur, cum de justo sit ac injusto sermo, non a constitutionibus principum, non a placitis populorum illud derivemus; sed ab illo jure summo capiamus initium, quod simul cum naturâ exstitit; tum consideremus leges, quibus civitates regi debeant; postea tractemus jura populorum, quae civilia vocantur: ne, dum jus civile tradimus, non tam justitiam, quam litigandi regulas constituamus (c); sed  
utrum-

---

(c) CICERO *de legg.* l. 16.

utrumque jus ita doctrinâ quoque conjungamus, uti naturâ junguntur.

Vestrum igitur, Academiæ nostræ Curatores gravissimi! in hanc Academiam, quin et in totam rempublicam meritum quis non videt? Vos utramque hanc disciplinam simul docendam curastis, cum bene intellexeritis, alteram sine alterâ intelligi non posse, sed a lege naturæ civile jus, ut a sole luna, omne lumen accipere.

Quanta vero hujus rationis est præstantia, tanta quôque subit formido, si cogitem, utriusque illius juris docendi provinciam mihi vestrâ benevolentia oblatam esse: bene enim scio, nec ad exsequendum delatum a vobis munus mihi vires sufficere, nec ad illum tuendum locum, quem

quem tot ante me viri clarissimi decorarunt, quem ab illo, cui proxime successi, RHOERIO V. Cl. ornatum inprimis omnes vidistis.

At, si doctrinâ me tantis viris imparem bene sentiam, studio tamen et doctrinarum amore me parem illis profiteri non dubito; quin et illorum praestantia hunc ardorem auget inprimis et stimulat, ne tantae dignitatis locum temere ingressus esse videar.

Vobis, igitur, Viri gravissimi! maximas et habeo gratias et ago, cum ob honorificum, quo me posuistis, locum, tum propter eam maxime, quod studiis me meis reddidistis, quod per vos securam quietamque procul negotiis vitam agere mihi liceat, studiis tantum et veritatis iustitiaeque praeceptis indagandis sacram et dedicatam. Ita vero hac in re mea

spes eveniat, ut ne vos unquam vestrae erga me benevolentiae poeniteat; quod si non statim doctrinâ meâ, quam exiguam esse bene teneo, efficiam, sedulitate tamen et assiduitate praestare conabor.

Floreat interim vestris Auspiciis haec Academia, et quae tot annos litterarum fuit et Patriae decus, non tantum diu hanc retineat gloriam, sed et novo splendore suum, continuo fere maximorum virorum decesu quodammodo depressum, caput tollat iterum et erigat.

Jam ad vos meam orationem pervenire sinite, Viri clarissimi, amicissimi collegae! inter omnes, quae meum huc veniendi consilium confirmarunt, causas, notam vestram eruditionem  
et

et humanitatem principes fuisse libenter concedo. Talis enim illa est eruditio, ut mirifice vestram consuetudine meam augere doctrinam non dubitarem; talia vestra in litteras omnemque disciplinam merita, ut dubium sit, utrum majorem vos a litteris, an a vobis litterae praestantiam habeant et dignitatem. Humanitatem autem vestram uti magnam speravi, ita multo majorem jam per totum fere annum expertus sum. Enixe vero vos precor omnes, ut eadem porro me benevolentiam, eadem integritate complecti semper pergatis: me certe nihil unquam praetermissurum scio, quo hanc alere amicitiam, meumque erga vos studium declarare possim. Vivite interim felices, et in discipulorum vestrorum non intermisso erga vos et litteras amore, doctrinae vestrae et industriae praemium percipite. Te



Te praesertim hic mihi compellare liceat,  
Cl. GRATAMA! quem potissimum meum in jure  
collegam videre maxime laetor, quippe cui non  
secus ac mihi persuasum esse scio, a naturâ  
tantum omne jus ducendum esse, ita ut in ipso  
Jure Romano explicando, non in verbis haeren-  
dum, sed in causas maxime, origines, et aequita-  
tem legum inquirendum esse egregie disputes.  
Diu te meum collegam et amicum habere li-  
ceat: quod in me est efficiam certe, ut quos  
eadem doctrina conjunxit, eosdem una ratio  
firmaque amicitia porro conciliet.

Vobis autem, carissimi commilitones, Aca-  
demici juvenes! quibus cordi est, justî boni-  
que artem cognoscere, quid multa dicam? ma-  
gis me jam omnes cognitum habetis, quam ut  
opus

opus sit testificatione, me vobis non tam praeceptorem, quam amicum esse. Hanc igitur accipite amicitiam, et mecum simul ad Themidos sacra tendite. Non est enim, mihi credite, tristis illa et spinis difficilis via, modo a naturâ, non principum libidine incipiamus: sic enim non subtilitatibus, sed brevi ac simplici viâ omne cognoscetur jus, sive illud publicas hominum res spectet, sive privatas; sic nobis veram jurisperitiam, non litigiosam quandam causâe orandae artem acquiremus. Nec inania me hic promittere putetis; ex meâ loquor experientia, nam et me aliquando difficultates illae et argutiae juris civilis terruerunt: verum talem mihi praeceptorem contigisse, semper cum voluptate quadam recordor, qualis mihi fuit Cl. CRAS, cujus erga me meritorum memoriam  
nul.

nulla delebit dies, qui et suo exemplo et egregia, suâ conjunctione elegantiorum litterarum jurisque naturae cum jure civili, omnes has sustulit difficultates, et eo ipso loco, quo praeter subtilitates quasdam nihil expectabam, humanae mihi sapientiae praestantissimum monumentum ostendit. At licet bene sciam huic illius rationi aequale quid praestaria me non posse, sic tamen eam sequi conabor, ut et utilis vobis et jucunda sit juris doctrina; qua re si illud efficiam, ut finito academico cursu, haec vestra studia praeceptoremque cum gaudio quodam in memoriam aliquando revocetis, nullius certe laboris, nullius difficultatis me poenitebit unquam.

---

---

## CORRIGENDA.

Pag.	3. vs.	1. confacrarunt	<i>lege</i> consecrarunt
—	5. —	8. Quamprimum	— Quum primum
—	13. —	12. hospitale	— hospitalem
—	31. —	5. omnem accuratam	— omnem accuratam
—	34. —	12. nniverfo	— universo
—	43. —	7. Tauro	— tauro
—	45. <i>in not.</i>	I. 16.	— I. 5. 6.
—	52. —	8. praestaria	— praestari a

---





